



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. III. Virginitatis Mariæ Prærogativa. Demonstratur, Mariam, non tam
Virginem suisse, sed & alios ad virginitatem stimulâsse; ac â nullo incastè,
concupisci potuisse, quo in dono omnes virgines ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS III.

*Virginitas Maria singularis est, eò quòd Virgo
ipsa Virgines faciat.*

Exordium.

Non sine Mylterio Virginem Deiparam Ecclesia in Hymno suo *Virginem singularem* inticulat, quia mirum singularis Gratia Castitatis illi soli divina concessa fuit, nam ut Verbis utar Dionysii Carthe-
fiani in cap. 2. Cant. art. 8. *Quamvis fuerint multe Virgines Sanctae, quarum quadam Martyrii gloriam sunt adeptae, tamen respectu huius unicae Virginis, singularis Amicae sponsi, quasi spinae fuisse videntur, in quantum aliquid culpae habebant; & quamvis in se fuerint munda, non tamen fuit in eis fomes profusus tinctus, fuerunt & aliae spinae, qui ex earum intuitu murem concupiscentiae pungebantur, quamvis ipsae Virgines Sanctae non fuerunt, in hoc ipso culpabiles.* Porro haec unica Dei delectabilissima Virgo, totius superbeatissima Trinitatis media, & anima ac socia, ab omni culpa fuit prorsus immunis; fuit in ea fomes plene extinctus, & tam intensissima Castitate erat repleta, quae intuentium corda sic penetravit suam inastimabili Castitate Virgineam, quòd à nullo potuit concupisci, imò potius extinxit ad iram illorum libidinem. Sic Catharinam prudentem Virginem novimus, in cuius obtruncatione, sanguinis loco candidillimum lac fluxit, ut castimoniam virginali testimonio redderet: Sic Margaritam, Luciam, Agatham, Cæciliam, & sexcentas alias Ecclesia colit Virgines, quae sequuntur Agnam quocumque jert, quae quamvis castissimae fuerint, ea tamen Castitate non erant conspicuae, ut in aliorum Cordibus labas hominum libidinosorum potuerint extinguere flammam, quin potius incentiva inordinati amoris, venustatis suae fomitem spectatori subministrarunt, quibus in Catharinam Maxentius, Valerius in Cæciliam, in Margaritam Olibrius, Quintianus in Agatham vehementer exarsit. At verò præcellens Maria Dei

Dei gravitatem cum modestiâ referentis pulchritudo singulari supra Angelos castitate refulsit, eamque cum tantâ honestate conjunxit, ut virginelem pudicitiam in aspicientium cordibus accenderet, vanum verò, & profanum amorem penitus restingueret, dignissima, quam communi creaturarum suffragio singularem Virginum Virginelem veneremur. Veritati huic pro reverentiâ SS. Patres subscribant. *Nullus unquam re-* ^{SS. Patres,}
pertus fuit, qui aspiciens ipsam, inordinatum aliquem carnalis ^{D. Thomas}
concupiscentiâ senserit motum. D. Thomas in 3. sent. dist. 3. ^{D. Thomas}
quæst. 1. art. 2. ad 4. Tanta erat ejus gratia, ut non solum in se
Virginis gratiam servaret, sed etiam his, quos inviseret, ^{S. Ambrosius,}
integritatis insigne conferret, ita ut quamvis esset pulchra cor- ^{Richardus}
pore, à nullo concupisci potuerit. S. Ambrosius lib. de instit. ^{à S. Laur,}
Virg. Maria pulcherrima Virginum fuit, nec unquam aliquis
eam intuens, ipsam male concupivit. Richardus à S. Laurentio. ^{Bernardinus}
de laud. Virg. lib. 12. Marie Virginitas in alios transfunde- ^{de Busto,}
batur, nam quamvis pulcherrima fuerit, tamen à nullo unquam
potuit concupisci, quia ejus puritas corda omnium penetrabat, &
omnes motus illicitos in eis exstinguerebat. Bernardinus de Busto. ^{S. Bernardus}
serm. 4. de B. V. Rationem reddit S. Bernardinus Senensis. ser- ^{de Senens.}
de Concept. B. V. art. 2. cap. 1. Primò quidem potuit hoc fieri pro-
pter impressionem, quia omnibus, qui inclinati erant ad con-
cupiscendam eam, ut carnaliter concupiscibilis non apparebat,
sicut & mulier valde pulchra, propter aliquod maleficium factum
viro suo, non potest et, ut concupiscibilis apparere, & sic Deus
in bonum aperta gratia hoc potuit operari. Secundo autem hoc
potuit fieri, propter conversationem, quæ utiq; admirabilem ho-
nestatem, & morum atq; gestuum gravitatem, in facie, & in
toto corpore, eam intuentibus ostendebat, in tantum, quòd per
extrinseca signa apparebat apertius, quòd nullatenus posset ad
sedum aliquid inclinari, imò quòd erat tota Deo dicata, & sin-
gularissimum habitaculum Dei effecta, sicut contingeret de San-
ctissimâ Muliere, quæ esset continuè quasi raptâ. Hæc ille. Nos ^{S. Bernardus}
autem afflante Spiritûs S. gratiâ singularem Virginem singula- ^{de Senens.}
ribus Conceptibus comitemur.

CONCEPTUS I.

Confirma-
tio seu De-
ductio.

Sapientissimus Regum Salomon odorem virginalis odoris Mariæ assimilat odori Cedri & Myrrhæ, *Quasi Cedrus quasi Myrrha electa dedit suavitatem odoris.* Eccles. 24. cap. Quid speciale Cedrus habet, aut Myrrha, ut in ejus odore tanta suavitudo resideat? Observant Naturalistæ, quod odor Cedri, & Myrrhæ salutaris sit, & myrrhæus quidem corrosivos vermes, cedri odor autem intoxicantes depellat serpentes; in eundem modum Marianæ puritatis odor virginalis, venenatos libidinis & corrosivos affectuum carnalium motus ab iis pellebat, quæ illam conspiciebant, intuentes ad castas cogitationes invitabat, & vitam verecundam infundebat Virgo prolixis singularis. Roborant Conceptum hunc piæ cogitationes Bernardus de Busto. serm. 4. de B. V. *Ideo comparatur Myrrha & Cedrus, quia sicut odor Myrrhæ fugat vermes, & odor Cedri fugat serpentes, sic & odor suæ Virginitatis de aliorum cordibus extinguit motus brutales.*

CONCEPTUS II.

Profundo ac mystico loquendi modo de sponsâ suâ, Virgine singulari, canit sponsus cœlestis. Cant. 2. v. 2. *Sicut lili-um inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ.* Quibus verbis juxta mentem Dionysii Carthusiani in cap. 2. Cant. Maria Virgo candidissimo lilio, reliquæ verò Virgines, pungentibus spinis comparantur. Magna profectò spinas inter & liliam differentia intercedit, quò ergo Encomiastes Virginis, singulari hâc similitudine excurrit? Indicare nimirum voluit, quod Beatissima Virgo inter alias Virgines, sicut lilium inter spinas eluxerit; aliæ enim Virgines spectatorum oculis fasciculis fuerunt pungentium spinarum, qui corda eorum pupugerunt, mentemque libidinis cuspidem transfixerunt, quam vis Virgines sanctæ nullam culpæ labem incurrerint: at verò Regina Cœ-

rum candidissimum liliu erat, quod quia, ut rerum naturalium Scriptores referunt, frigida naturæ est, candore honestatis suæ, & singularis prorsus Virginitatis puritate, omnem inhonestæ concupiscentiæ ardorem in spectantibus extinxit, eosque in purissimum castitatis amorem accendit. Ita Dionysius in Exordio citatus. Cui accedit Bernardus Allensis. 3. part. quæst. 9. membr. 3. art. 1. *Tanta fuit illa sanctificatio, ut etiam extenderetur ad alios, & quòd extingueret omnem concupiscentiam carnalem in alio.* O igitur candidissimum liliu inter spinas! O Templum castitatis & pudicitæ! O Virgo verè singularis!

CONCEPTUS III.

De vino advertit Sapiens, quòd propriè venenum sit Virginum, utpotè Virginitas summè nocivum, puritati virginali contrarium, verbo uno, *luxuriosum*; *Luxuriosa res vinum*, inquit Prov. cap. 20. hinc etiam monet Apostolus ad Ephes. 5. cap. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Zacharias tamen Propheta cap. 9. *Vinum germinans Virgines.* in Spiritu suo longè prævidit. Quod ergò Vinum tam singulare est, aliis luxuriantibus, Virgines germinans? Vinum hoc præ cæteris singulare, Beatissima est Virgo Maria, ubi enim aliæ Virgines etiam culpæ immunes, in animis intuentium lascivos motus excitârunt, hæc omnes libidinis faces verecundiæ Mater restinxit. Sic de eâ scribit doctissimus Henriquez lib. 2. de laud. Virg. art. 2. *Ejus aspectus carnalium æstum extinguit, peccatorum corda compungit, mundanorum hominum desideria ad cælestia elevat.*

CONCEPTUS IV.

Fugientes in Ægyptum Abraham & Joseph, subtili ac piâ consideratione suâ comitatur devotissimus Simon à Cassia. lib. 2. in Evang. Fugit nimirum ad mandatum Domini Abraham

ham in Ægyptum cum desponsatâ sibi uxore Sarâ Genes. 31. cap. Fugit & monitus ab Angelo sponsus Virginis, cum Jesu Mariâ in Ægyptum. Matth. 2. cap. decorâ facie erat Sara, pulchra nimis Virgo Maria; pulchritudo Saræ timorem incussit Abraham, ne fortè ab Ægyptiis ad lasciviam sollicitaretur; pulchritudo Virginis longè excellentior, timorem Joseph non incussit: Cur ergo timente Abraham, Joseph non timuit? Respondet præfatus Scriptor: *Noverat Joseph experimento hanc qualem gratiam Deus in Mariâ posuit, ut nec propter excellentem pulchritudinem potuisset ab aliquo ad immunditiam concipi.* Esse in seipsâ Virginem, & in aliorum cordibus virginum plantare pudicitiam, non nisi singularis est Virginitas.

Epilogus,

Virginem nostram singularem sub similitudine storace repræsentat Ecclesiasticus cap. 24. *Quasi Storax.* Etenim huius odor pretiosissimus est, reliquis odoribus efficacior, & contra morbum caducum salutaris; in hunc odorem, Mariani Chierites, currite, Virginem Virginum invocate, hæc vos castitatis Hymnum cantare faciet, & à luciferiano casu æternitatis maternè præservabit.

*Dulcis odor Christi, specialis Virgo fuisti,
Pectora casta creans, & sine fine beans.
Hoc in fine hora, tu nos recreabis odore,
Si cum prole piâ, sis comes atq; via.*

